

Pio Ciprotti

Num aliquid novi praevidendum sit, quod attinet ad "iustitiam administrativam" in Ecclesia

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 19/3-4, 3-8

1976

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

PIO CIPROTTI

**NUM ALIQUID NOVI PRAEVIDENDUM SIT, QUOD ATTINET AD
„IUSTITIAM ADMINISTRATIVAM” IN ECCLESIA ***

Procedura administrativa maximi est usus in Ecclesia, cum maxima pars potestatis regiminis exerceatur per actus administrativos, quibus praelati alique, munus regendi in Ecclesia habentes, Ecclesiam suis praeceptis gubernant.

Quamquam autem non possumus — sicut dicimus Statum per ius, i.e. per iuridica praecepta operari — dicere Ecclesiam per ius operari, at certo possumus ac debemus confiteri Ecclesiam, quamvis multis aliis viis operetur, ad has tamen vias rite adhibendas oportere praeceptis iuridicis utatur. Regendi munus est igitur in Ecclesia munus auxiliarium, videlicet quia cetera Ecclesiae munera (docendi et sanctificandi), et generatim eius pastoralis opera, non possent regulariter exerceri, si iuridica instrumenta deessent (quod verum est de qualibet opera et actione in hominum societate).

Administrativa autem procedura intelligitur ratio procedendi in potestate regiminis exercenda, quatenus consideretur ea tantum huius potestatis pars, quae neque est legislativa potestas neque iudicialis. Quae distinctio utique est distinctio empirica, iuris positivi, nec pertinet ad Ecclesiae essentiam, sed tamen iam translaticia dici potest.

Si quaeramus cur visum sit normas de hac re pleniore in futuram Ecclesiae legem introducere, cum in Codice Iuris Canonici adhuc paucae sint et intermissae, haud defficile est respondere, incommodis inspectis quae ex hoc provenerunt et proveniunt, et praesertim querelis quae inde, sive iure sive iniuria, passim moveri solent: secundum hodiernam hominum mentem videtur enim pauciores esse in Codice cautiones, ut haec administrativa activitas secundum legem et secundum iustitiam perpetuo exerceatur, ut semper respectet — quatenus in Ecclesia debeant respectari — ea quae hominum iura fundamentalia vocantur.

Principium autem supremum in studio activitatis administrativae Ecclesiae mihi hoc esse debere videtur: quod optimum esset si utrumque hoc obtineretur: 1) omnes actus administrativos — quos postea, brevitatis causa, „decreta” vocabo — fore semper omnino

* Referat wygłoszony na Wydziale Prawa Kan. A.T.K. w Warszawie w dniu 21. X. 1974 r.

iustitiae conformes, et simul talia sint quae maxime respondeant Ecclesiae fini (quod est: si plura dari possint in singulari casu iusta decreta, illud feratur, quod maxime conducat ad animarum bonum); 2) si forte quod decretum non sit iustum, id est alicui damnum iniustum inferat, is patienter toleret huiusmodi damnum sacrificium suae utilitatis, nisi hoc sacrificium animarum saluti et publico bono noceat, veluti in poenitentiam acceptans. Lex autem certo non potest id singulis hominibus imponere, et debet iubere omnia decreta et secundum iustitiam et secundum animarum bonum ferri; et omnino expedit ut lex praevideat remedia, quibus, si quis contendat decretum aliquod non esse iustum vel non esse animarum bono conforme, de hac re iudicetur et, si constet id verum esse, decretum vel irritum fiat vel mutetur, ita reparata iustitia et curato animarum bono.

Remedia vero, quae in viginti Codice statuuntur, permultis hominibus in Ecclesia haud adaequata et idonea iam videntur: sive quod vere non satis sint ad finem consequendum, sive quod in usu non bene operata sunt (causae multiplices esse possunt, nec possumus hic de iis inquirere), sive quod nostra aetate homines in hac re plura postulant a legislatore — immo ab ipso Ecclesiae legislatore — quam antea.

Fit autem, ut ii quoque qui systemati iuridico in Ecclesia adversantur, saepe propugnent ut plenior sit hominum defensio adversus decreta ecclesiastica, si qua sint illegitima vel quomodolibet minus apta. Legislator ipse, ut nostis, eiusmodi lacunam quodammodo sensisse videtur, quandoquidem paucis ante annis alteram constituit Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae sectionem, ne unus pateret adversus ecclesiastica decreta recursus ad hierarchicum superiorem; cum autem superior hierarchicus plerumque non sit nisi Apostolica Sedes, id saltem incommodi aderat, quod de recursu decisio dabatur in loco valde dissito; neque videbatur — ita saltem nonnulli querebantur — aequam esse pugnam inter recurrentem et decreti auctorem, cum hic argumenta et documenta nosceret, recurrentis recurrens vero minime illius probationes et deductiones inspicere posset.

Haec autem alterius sectionis Supremi Tribunalis constitutio post sex experimenti annos non videtur satis fuisse ad incommoda vitanda, quae in systemate remediorum adversus administrativa decreta in Ecclesia deprehensa sunt; quae remedia — id ne obliviscamur — non ideo tantum quaeruntur, ut decreta iniusta irrita fiant vel refoventur, sed etiam ut maiorem curam in decretis ferendis stimulent, ideoque efficiant ut saepius ea decreta et iusta et animarum bono conformia evadant.

Ideoque, praesertim cum Signatura non possit operari nisi a loco dissito, multi sunt qui propugnent ut et recursus hierarchici

melius et efficacius operentur, et dentur recursus ad tribunalia, quae magis celeriter et proxime, ut ita dicam, iudicent, et etiam efficiatur ut opportunis viis ipse superior, qui decretum tulerit, possit rem iterum considerare antequam adversus eum recursus aliquis proponatur.

Antequam autem via quaeratur ad optimam solutionem in materia de procedura administrativa, vel potius in materia de iustitia administrativa, inveniendam, oportet animadvertere recursus, qui dantur iis qui adversus decreta queruntur, non tutari tantummodo ipsius recurrentis utilitatem, sed etiam utilitatem publicam, quod est tandem animarum bonum: publice enim interest ut decreta, quae in Ecclesia feruntur, cum iustitia non pugnent et maxime conducant ad animarum bonum; ita ut qui, ad suam utilitatem tuendam, recurrit adversus decretum, si recursus fundamento pollet, indirecto promovet etiam iustitiam in potestatis regiminis exercitio ideoque animarum bono favet. Attamen periculum est quidem, ne, si nimis faciles fiant in Ecclesiae lege eiusmodi recursus, nimii hi proponantur, quolibet etiam fundamento carentes; neque facile erit impedire ne nimii proponantur, neque remedium huic incommodo adaequatum erit mera recursus, fundamento carentis, reiectio. Duas igitur necessitates istas debet legislator componere, quod arduum sane est munus.

Patet autem omnia magis ordinate in exercitio potestatis regiminis, et proprie in ea huius potestatis parte quae ”administrativa” vocatur, procedere posse, si non tantum rite moderetur legislator recursus qui adversus decreta possint proponi, sed etiam normas det, quae servandae sint in decretis ferendis, normas, inquam, et de decretorum substantia et de procedura in iis ferendis. Propterea, ut vobis notum est, in schemate de procedura administrativa, quod iam Conferentiarum Episcopali iudicio submissum est, normae propositae sunt etiam de decretis extra iudicium ferendis, generaliores quidem normae, cum magis minutae non possint nisi in canonibus de singulis materiis, si opus sit, dari, et, quatenus ad rationem procedendi attineat, etiam in legibus particularibus (Notitias de hoc schemate vide in *Communicationes* 1970, 191—194; 1972, 35—38; 1973, 235—243).

Si autem inspiciamus normas, quas schema proponit de recursibus adversus decreta, id praecipuum est in schemate novum, quod non unum est tribunal administrativum sectio altera Signaturae Apostolicae, sed proponitur ut etiam tribunalia inferiora primi et secundi gradus a Conferentiis Episcopalibus et ab Episcopis constituentur, ordinatur ratio recurrenti ad varia tribunalia, normae praeterea dantur de transitu a via hierarchica ad viam iudicialem et contra; cum autem recursus hierarchicus remaneat sicut est in viginti Codice, paucis tantum mutatis et completis, recursus

ad tribunalia administrativa admittitur in schemate tantummodo propter motiva quae vocantur „legitimitatis”, id est si quis contendat decretum esse illegitimum. Ex quo consequenter fit ut schema proponat ut superior hierarchicus per se easdem habet potestates quas decreti auctor habeat in decreto proferendo, tribunal autem non possit decretum emendare, sed tantummodo irritum declarare vel rescindere vel, recursum reiciendo, firmare.

Accurate schema definivit diversitatem competentiae superioris hierarchici et tribunalium administrativorum: ad illos enim recurri potest quoties quis se gravatum decreto esse contendat, ad haec tantummodo si quis contendat errorem fuisse in decernendo vel violatam esse legem in procedendo vel motiva in decreto allata non esse vera. Violatio legis autem intellegi debet de qualibet norma iuridica vigenti, sive est vera lex, naturalis vel positiva, sive est norma alicuius ordinationis aliisque documentis vim coactivam habentis.

Diversitas autem, quam supra significavi, inter potestatem reformandi, quae datur superiori hierarchico, et potestatem rescindendi, quae datur tribunalibus administrativis, explicatur ex hac motivorum diversitate, quibus recurri potest ad illum et ad haec; et explicatur etiam ex hoc, quod non potest idoneum videri tribunal, ut ipsi episcopo aliive superiori se substituat in gubernanda dioecesi aliave populi Dei portione (nec tamen haec tribunalium coarctatio fuit sine obiectionibus).

Alia autem summi quidem ponderis mutatio vigentis iuris proponitur in schemate, praesertim ad tuendam dignitatem episcoporum, quibus utique recursus, et hierarchici et iudiciales, possunt maximo esse fastidio et dedecori (in nonnullis autem civitatibus episcopi solent melius pati ut sua decreta submittantur iudicio tribunalium, quam superioris hierarchici, in aliis civitatibus contra). Ad id incommodum vitandum schema non solum hortatur „ut, quoties quis gravatum se decreto putet, non fiat inter ipsum et decreti auctorem contentio, sed inter eos de aequa solutione quaerenda tractetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem vel consilium forte adhibitis, ita ut vel per voluntariam decreti emendationem vel per aequam compensationem vel per aliam idoneam viam controversia vitetur vel dirimatur”; sed praeterea statuit ut neque recursus ad superiorem hierarchicum neque recursus ad tribunal administrativum proponi possit, nisi antea petatur ab ipso decreti auctore decreti revocatio vel emendatio.

Uti statim perspici potest, sunt quaedam problemata et difficultates, quae ex hac proposita vigentis iuris reformatione oriri possunt, praeter periculum illud, de quo iam dixi, de nimis frequentibus recursibus sine fundamento forte futuris.

Una ex his difficultatibus, quae iam ab aliquibus mota est, at-

tinet ad interventum Conferentiarum Episcopaliū et in legibus de procedura ferendis et in tribunalibus constituendis, quae de Episcoporum decretis iudicent: nonnullis enim id visum est veluti violatio potestatis, quam episcopi divino iure habent, gubernandi dioecesim vel eam populi Dei portionem, quae ipsi commissa est (Conferentia Episcopalis Americana, quae aliquot ante annis normas aliquas dedit de ratione procedendi in componendis controversiis ex episcoporum decretis provenientibus, noluit tamen has normas vim habere in singulis dioecesibus, nisi unoquoque episcopo consentiente). Verum violationem non haberi patet, si consideretur Conferentiis eam potestatem dari — si schema lex fiat — ab ipso Summo Pontifice, qui sane potest ad honum publicum consequendum eas episcopalis potestatis coarctationes statuere. Quaestio igitur reducitur ad quaestionem de opportunitate tantum, neque difficultas theologica ulla comperitur in reformatione proposita.

Alia magni ponderis quaestio mota est a nonnullis, quod schema videatur recepisse distinctionem inter iura subiectiva et alias iuridicas positiones activas, quae distinctio videtur aliena a iuridica quarundam gentium traditione et mente. Schema autem ideo mentionem de iure subiectivo fecit, quod tantummodo si decretum laedat ius subiectivum praevideatur in schemate possibilitas petendi reparationem damnorum. In quo faciendo autem schema non videtur recessisse a iure Codicis vigentis, nisi in hoc: quod ad videndum de petitione damnorum competens esse statuit tribunal administrativum; distinctionem enim inter ius subiectivum et ceteras iuridicas positiones activas innuere videtur can. 1667 Codicis Iuris Canonici, qui tantummodo iura subiectiva statuit generatim actione iudiciali muniri. Neque confundendum est systema schematis cum systematae, quod sequuntur leges quarundam civitatum, quae ex distinctione inter ius subiectivum et „interesse” derivant diversitatem competentiae, cum tribunalibus ordinariis tribuant potestatem iudicandi de controversiis circa iura subiectiva versantibus, tribunalibus administrativis vel aliis organis administrativis potestatem iudicandi de controversiis quae circa „interesse” versantur; schema, contra, distinctionem adhibet tantummodo ut definiat quando possit haberi petitio ad damnorum reparationem consequendam.

Quidam vestrum me privatim rogavit utrum, si forte schema a supremo legislatore probetur, ita ut Ecclesiae lex fiat, Ecclesiae disciplina de regiminis potestate melior evadat necne. Tametsi difficile est respondere in re tam salebrosa antequam nova lex usu probetur (neque velim mihi applicetur id quod est in Polonico proverbio: każdy kupiec swój towar chwali), opinio tamen tuto sperari posse multo plura futura esse commoda quam incommoda, si schema probetur, ita tamen ut Episcopi aliique superiores maxi-

me vigilant non solum ut sua decreta, quantum fieri potest, legis normis respondeant, sed etiam ut perturbationes vitentur et, si necesse sit, coërceantur neque administrativa Ecclesiae activitas impediatur et evertatur.

Ceterum non est obliviscendum schema ita esse compositum ut non totam materiam de ratione procedendi in decretis ferendis deque recursibus adversus decreta ex integro ordinet, sed tantummodo ut principia quaedam generalia de hac re constituat, quae complenda sunt — aut certo possunt compleri — et legibus generalibus de singulis negotiorum generibus, et, ex parte saltem, legibus particularibus quae rationem procedendi magis minute determinant ac moderentur, et iudicum advocatorumque qualitates statuunt: quas leges particulares schema proponit posse etiam a Conferentiis Episcopalibus ferri. Immo vero aliter possunt etiam normae, quae in schemate proponuntur, compleri: si videlicet administrativa auctoritas publice exprimat principia, quae ipsa servatura erit in certis negotiis gerendis; quae principia, si publice promulgentur, vim normarum iuridicarum certe acquirunt, ita ut eorum violatio haberi debeat legis violatio (quae non potest non includere etiam ordinationum violationes).

In legibus de procedura administrativa ferendis in Ecclesia, ac praesertim in legibus de „iustitia” administrativa, caute procedere debet legislator, non solum quia materia est summae gravitatis, sed etiam quia non semper normae ad experimentum facile ferri possunt: talis enim est materia, ut, si forte legislator aliquid ultra vignet ius progrediatur, difficile ac magno cum labore potest, si experientia docuerit progressum esse damnosum, ad pristinum locum et statum recedere. Propterea in iure novo condendo principium illud prudentiae, quantum fieri potest, est servandum, quo nempe in dubio de opportunitate mutationis minimum mutetur, et postea gradatim ulteriora, prout experientia docuerit, emendentur.